



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. VII. De domino circa res per usuram acquisitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

enim ipse non percepisset ex re illa eos fructus, ut supponimus; & ex alia parte hi sunt fructus rei, cuius dominium in sententia De Lugo, ipse mutans habet; ergo ipsi mutanti fructus sunt. Id, quod probabile est, sicuti probabile est illa sententia. Sed certe nostra probabilior, ut modo vidimus, unde sequitur, fructus debere esse mutuarii, utpote fructus rei suae, ut dictum est.

Res emptæ ex pecunia Vfuraria, cuius?

13. Infertur secundò, seu hic per occasionem notetur, res, quas vfurarius sibi emit pecunia ipsa vfuraria, quamvis non permixta, in ipsius vfurarii transire dominium. Ita Molin. id latè probans d. 326. (idem dic de re emptæ a fure pecuniâ furtivâ.) Ratio est, quia res emptæ non est fructus pecuniæ, quæ est sterilis, sed est veluti effectus voluntariæ emptionis, seu susceptæ negotiationis; Cum ergo ejusmodi emptio, seu negotiatio sit tota ipsius vfurarii, seu furis, idè in ipsius ementis, seu negotiantis dominium res emptæ veniet. Hanc illationem concedunt omnes, etiam illi, qui negant, dominium vfurarium transferri in vfurarium, & colligitur appetit ex lure, l. 9. C. Si quis alteri, l. Si ex ea, C. de rei vindicta, notatque Molin. d. 327. Less. l. 2. cap. 30. num. 161. Salas loc. cit. dub. 39. alique. Remanere nihilominus in vfurario, & fure obligationem tantundem reddendi, & damna inde sequuta mutuario, vel Domino, nimis est dictum sæpè.

§. II. An bona Vfurarii sint obligata pro Vfuris?

1. Vandoquidem in vfurario remanet dicta obligatio. Quæritur an ea afficiat solum personam ipsius, an etiam ejusdem bona, ita, ut omnia bona vfurarii remaneant hypothecata pro vfuris solvendis?

2. Respondeo: Sed ante responsionem duo præmitto. Primò, posse nos, vel loqui de bonis vfurarii (idem etiam est in fure) emptis pecuniâ ipsâ vfurariâ, vel posse nos loqui de bonis aliis, quæ alia propria pecunia, vel alia via ad ipsum pervenerunt. Non loquimur autem de bonis ipsis in individuo extantibus malè acquisitis per vfuram, hæc enim certò semper deberi Domino, apud quemcumque inveniuntur, constat ex dictis, & dicam c. 8. §. 1. num. 1.

3. Secundò præmitto, quid sit, rem meam esse alteri, sive tacitè, sive expressè hypothecatam? Est enim, rem meam esse realiter obligatam alteri. Quare ipsi rei sic affixa est obligatio, ut quamvis transeat, sive per venditionem, sive per donationem, sive per alium contractum in cujusque possessionem, semper Creditor possit ab illa te exigere suum creditum; est enim pignus sue rei. Licet ergo vfurarius sit obligatus personaliter ad solvendas vfras, vnde, & omnia bona sua sint etiam tacitè obligata, ut habet De Lugo, d. 20. de Iust. num. 107. & possit, debeatque cum illis, vel eorum pretio satisfieri creditoribus, id tamen est ratione personæ, nam propterea, si aliquid ex his bonis transeat in dominium alterius possessoris, qui personam vfurarii non repræsentet; si, verbi gratiâ, alicui tale bonum, verbi gratiâ, domus legitime vendatur, excutit domus à se ejusmodi obligationem, quod non posset facere, si esset realiter obligata.

4. Nunc jam respondeo tribus dictis. Dico primò, personam vfurarii, & ejus bona omnia, dum ea possidentur ab vfurario, esse obligata pro vfuris, vel furtis solvendis. Ratio est manifesta, quia vfurarius obligatur ad restitutionem acceptorum per vfuram ex injusta acceptione, unde semper ipse per quæcumque bona, quæ habet tenetur ejusmodi restitutionem expedire.

5. Dico secundò: Bona vfurarii, vel furis emptæ, vel habita aliunde, quàm ex pecunia vfuraria, vel furtivâ; non esse neque tacitè, neque expressè ex se hypothecata pro solvendis vfuris.

6. Dico tertio: Bona eorundem emptæ pecunia vfurariâ, vel furtivâ, quamvis aliqui dicant, esse realiter hypothecata pro dictis vfuris, vel furtis, vnde affirmant, quocumque proveniant, sive per contractum onerosum, qualis est venditio, sive per lucrativum, qualis est donatio, transire cum hoc opere, tamen probabilius longè est, nequaquam esse ex se hypothecata, nec cum dicto onere transire.

7. Ratio potissima secundi, & tertii dicti est, quia ex vna parte, (ut modo diximus §. præced.) res emptæ fructus est negotiationis ementis, atque adeo sit ejus dominii, & ex alia parte hypothecæ realis, seu obligatio, vel debet induci à lure, sic ipse disponente, vel à conventionne partium; non enim naturaliter ex se inducta est, cum ergo sive loquaris de rebus emptis pecuniâ vfurariâ, vel furtivâ, sive de rebus aliunde habitis, non apparet in lure, eas esse realiter hypothecatas pro vfuris, vel furtis, quia nullibi toto corpore legum id legitur, neque ex conventionne partium, ut ex se constat, sequitur eam non esse nobis inducendam.

8. Quando igitur Pontifex cap. de vfuris, decrevit, ut ad solvendas vfras, venderetur prædium vfuris emptum loquutus est de prædio, quod emerat pecuniâ vfurariâ ipse vfurarius, illi tunc possidebat, non autem de prædio, quod translatum fuerat ad alios; Et quamvis potuisset Pontifex statuere, ut venderentur alia bona possessa ex alio titulo ab vfurario propter obligationem personalem, quam modò §. 4. diximus; tamen in odium, & pœnam delicti vfuræ, rectè statuit, ut non hæc, sed illa emptæ cum pecunia vfuraria auctoritate Iudicis venderentur.

9. An autem, quando res emptæ cum pecunia vfuraria est in possessione ipsius vfurarii, debeat potius reddi ipsi mutuario, à quo illa pecunia habita fuit; & sic ipse debeat præferri cæteris creditoribus fortè anterioribus, & privilegiatis dicti vfurarii, sicuti ex De Lugo d. 20. de Iust. num. 15. præferuntur ii, qui pecuniam dant ad reparationem, vel conservationem rei, alia est questio alibi decernenda.

CAPUT VIII.

De Alienatione rerum acceptarum per Vfuram factam ab Vfurario.

§. I. De Alienatione rei in Specie.

1. Regula prima: Si extet apud vfurarium res ipsa aliena in specie, seu ut nos Theologi loquimur in individuo, nec suis rebus immixta, non potest à te illa acceptari, nec ab ipso potest alienari. Ratio est, quia res aliena, qualis est hæc, in nostra sententia, supra d. 6. §. 1. n. 9. in qua dominium non fuit translatum in vfurarium, invito Domino, contractari non valet. Quare, si mala fide accipis, teneberis ex injusta acceptione, si bona fide, seu ignoranter, teneberis ex re accepta juxta universales constitutionis leges.

2. Duas hic exceptiones invenio, alteram de rebus vfu consumptibilibus, seu functionem recipientibus, puta pecuniâ, vino, frumento, & similibus. Alteram, de rebus aliis. Quoad res consumptibiles, Valentia tom. 3. d. 5. q. 2. l. 3. v. Sequitur secundò, Med. loco mox citando, ait, in hisce rebus prædictam regulam non omnino procedere: quare, si per donationem, vel venditionem habuisti ab vfurario oleum, vinum, pecuniam ipsam in individuo vfurariam, si ex hac venditione, vel donatione dictus vfurarius non factus est impotens ad restituendum, non obligaris restituere. Ratio est (inquit) quia res vfu consumptibiles, cum ex se requirant restitutionem in aliquo æquivalente, transeunt statim in dominium ejusdem possessoris: Verum, efficacior ratio prædictæ doctrinæ illa esse mihi videtur, quia nimirum, si vfurarius